



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Viæ duæ, humana videlicet & mystica, per quas affectus graditur. Cap.
XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

verus spiritualis affectus seipsum voluntariè resignat, & exhibet tam paratum ad quamcunque aduersitatem, sicut ad prosperitatem, vt Deus per hoc honoretur. Ille igitur est vnus pes quo anima progredi debet in vita contemplatiua.

Vie due humana videlicet & mystica, per quas affectus graditur.

Cap. XXX.

Sed quia rationalis creatura constat ex duplici natura, scilicet corporali & spirituali, quarum vtraque sibi correspondentia habet obiecta, quibus secundum cuiuslibet capacitatem æternam veritatem (quæ Deus est) percipere vel participare potest, ideo duplex assignatur contemplandi modus, quibus tanquam via duplici ad ardorem perfectæ charitatis peruenire valeamus: & propter hoc etiam oportet spiritualem hunc pedem duobus modis præparare ad currendam hanc viam. Primò constat homo ex corporali substantia & natura, & huic obiecit Deus omnia, quæ cognosci possunt exterioribus sensibus, vt rudes & sensuales homines (quorum sensus & intellectus obreuebratus est, & affectus ad se reflexus, ita vt non possint diuinam bonitatem, & veritatem, prout in seipsis sunt, sentire) in sensibilibus creaturis contemplari valeant immensam maiestatem, sapientiam, artificiositatem, pulchritudinem, suauitatem, & amorem inuisibilis Creatoris. Hic est vnus modus, & via perueniendi ad vitam contemplatiuam, scilicet cum homo attendit opera creationis, & considerat magnitudinem, pulchritudinem, subtilitatem, ordinationem, nobilitatem, & suauitatem creaturarum, & inuenit in omnibus immensitatem, quæ Deo ascribitur. Consequenter attendit propriam vilitatem, ingratitude, & malitiam, quam erga Deum ostendit. Et qualiter Deus immensus dignatus sit humanam naturam suscipere, & nos ex amore per amaram, & confusiuam mortem, & pretiosum sanguinem liberare, & similia. Et huiusmodi exercitia primò locanda sunt in fundamento contemplationis: & cum aliquato tempore istud vigorosè exercitatum fuerit, imprimetur ex hoc cordi admiratio quædam diuinæ immensitatis ex consideratione creaturarum: nec non & deuotio quædam plena confidentiæ ex consideratione diuinæ dignationis ad nos viles & vitiosos, quam exhibuit humanitatem assumendo: & demum etiam magna lætitia amoris plena, considerato quòd amor eius ad nos, ipsum coegerit talem mortem sustinere. Hæc autem tria prædicta (excitando affectum) trahunt exteriorem hominem introrsum, & interiorem hominem sursum,

Via humana per ce-
stus in
Deum tea-
deas.

Aaaa

sum,

sum, ubi paulatim magis, & magis in his tribus instruitur. Et ita procedit intellectus, & trahit post se affectum introitus, quoad usque affectus adeo violentus, & impulsivus efficiatur, ut omnes vires in suum servitium compellat. Et ex tunc quandoque se ad exercitiū dare voluerit, non erit necessarium sibi à principio exercitationem inchoare, sed semper parata inueniet tria præfata, tanquam fundamentum, super quod collocet exercitia contemplatiuæ vitæ, secundum tractum spiritus. Sed primus labor suus erit, accēdere amoris ignem, ut fornacem ardentem, cui statim Deus associabit gratiam suam tanquam operariam, cuius instrumentum erit amor. Sed hic amor per istam viam acquisitus, non est tam actiuus, vigorosus, aut impetuosus, quin intellectum præcedere permittat, & ipse sequatur: & ideo tantum non proficit in vita cōtemplatiua, aut in virtutibus, vel etiam in suis ipsius mortificatione, sicut amor acquisitus alia via. Et in hoc preparatus est pes affectionis ad ambulandū per istam viam, quæ magis frequentatur ab hominibus, & præsertim ab illis, qui ingenio subriles & actiui sunt.

Via mystica per amorosum effectum in Deum tendens, atque de eam iuuantibus. Cap. XXXI.

Secundò constat homo ex spiritali substantia & natura, cuius obiectum sunt omnia, quæ exterioribus sensibus non possunt apprehendi, & illa ratione comprehendit, aut fide cōtemplatur. Sunt autem nonnulli, & præsertim qui sensibus quieti sunt & intellectu non actiuo, aut etiam simplices & non multum capaces, pleni tamen naturali amoroso affectu & corde hilares: isti in sua ad Deum conuersione non sunt actiui in exercitio virium intellectualium, sed sentiunt se magis inclinatos & dispositos ad exercitandum se in vi concupiscibilis quia in illa statim inflamantur ardenti amore Dei, & istiusmodi homines ad aliam viam trahit. Nihilominus quando hæc secunda via homini nota est, potest se in ea exercitare, & ipsam perambulare: quia quamuis communiter gratia operetur secundum dispositionem naturæ, ipsam ad spirituales eius perfectionem perducere optans, tamen etiam sæpe operatur gratia Dei secundum qualitatem exercitationum quas assumimus: & Deus unicuique largitur gratiam secundum quod se eius auxilio preparauerit, & idoneum se exhibuerit ad ipsam recipiendam, & ea utendum.

Hæc igitur via est diuina & occultata ab omni humana sapientia, & do-

Gratia quomodo operatur.